



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De occultanda gratia, sub humilitatis custodia. 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

## C A P. VII.

*De occultanda gratia, sub humilitatis custodia.*

Domi-  
nus. **F**ili, <sup>t</sup>vtiliùs est tibi & securiùs, de-

uotionis gratiam abscondere, nec  
in altum te efferre, nec multum inde  
loqui, neque multum ponderare: sed  
magis temetipsum despicere, & tam-  
quam indigno datam timere. Non est  
huic affectioni tenaciùs inhærendum,  
quæ citius potest mutari in cōtrarium.  
Cogita in gratia, quām miser & inops  
esse soles sine gratia. Nec est in eo tan-  
tūm spiritualis vitæ profectus, cùm  
consolationis habueris gratiam: sed  
quum humiliter, & abnegatè, patien-  
terque tuleris eius subtractionem: ita  
quod tunc ab orationis studio non  
torpeas, nec reliqua opera tua ex v̄su  
facienda, omnino dilabi permittas: sed  
sicut melius potueris & intellexeris,  
libenter quod in te est, facias: nec pro-  
pter ariditatem, seu anxietatem mentis  
quām sentis, te totaliter negligas.

**2** Multi enim sunt, qui cùm non  
benè eis successerit, statim impatientes  
fiunt

fiunt aut desides. Non enim semper est *Ierem.*  
in potestate hominis via eius, sed Dei <sup>10. &</sup> *Rom. 9.*  
est dare, & consolari, quando vult, &  
quantum vult, & cui vult, sicut sibi  
placuerit, & non amplius. Quidam  
incauti, propter deuotionis gratiam,  
seipsostruxerunt: quia plus agere  
voluerunt, quam potuerunt, non pen-  
santes suæ parvitas mensuram, sed  
magis cordis affectū sequentes, quam  
rationis iudicium. Et quia maiora  
præsumperunt, quam Deo placitum  
fuit, idcirco gratiam citò perdiderunt.  
Facti sunt inopes, & viles relicti, qui in *Esa. 14.*  
cælum posuerunt nidum sibi: ut hu-  
miliati & depauperati, discant non in  
alis suis volare, sed sub pennis meis  
sperare. Qui adhuc noui sunt, & im-  
periti, in via Domini, nisi consilio dis-  
cretorum se regant, faciliter decipi  
possunt & elidi.

3 Quod si suum sentire magis se-  
qui, quam aliis exercitatis credere vo-  
lūt, erit eis periculosus exitus, si tamen  
retrahi à proprio conceptu noluerint.  
Rarò sibiipsis sapientes, ab aliis regi  
humiliter patiuntur. Melius est, sapere *Ps. 15.*  
modicum cum humilitate, & parua & <sup>16.</sup>  
intel.

intelligentia , quām magni scientiarum thesauri, cum vanā complacentia. Melius est tibi minus habere , quām multum, vnde posses superbire . Non satis discretē agit, qui se totum lātitia tradit, obliuiscens pristināe inopiae suę, & casti timoris Domini, qui timet gratiam oblatā amittere . Nec etiam satis virtuosè sapit, qui tempore aduersitatis , & cuiusque grauitatis , nimis desperatē se gerit , & minus fidenter de me quām oportet, recogitat ac sentit.

*1. Thes.* 4 Qui tempore pacis, nimis securus esse voluerit: səpē tempore belli, nimis deiectus & formidolosus reperietur.

*5.* Si scires semper humilis & modicus in te permanere, nec non spiritum tuum benē moderari & regere , nō incideres tam citò in periculū, & offendam. Cōsillum bonum est, vt ferooris spiritu concepto, mediteris, quid futurum sit abscedente lumine. Quod dum contigerit, recogita, & denuō lucem posse reuerti quā ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus substraxi.

*Iob 7.* 5 Vtilior est səpē talis probatio quā si semper prospera, pro tua haberes voluntate. Nam merita non sunt ex hoc

hoc existimāda , si quis plures visiones aut consolationes habeat; vel si peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu: sed si vera fuerit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus: si Dei honorem purē & integrē semper quærat: si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat , atque ab aliis *Ps. 83.* etiam despici & humiliari magis gaudeat, quàm honorari.

## C A P. VIII.

*De vili aestimatione sui ipsius, in oculis Dei.*

**L**Oquar ad Dominum meū, cūm seruus sim puluis & cinis ? Si me am- Gen. 1:8 plius reputauero , ecce tu stas contra me: & dicunt testimonium verum iniquitates meæ , nec possum contradicere . Si autem me vilificauero, & ad nihilum redegero , & ab omni propria reputatione defecero , atq; (sicut sum) pulueris auero , erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua: & omnis aestimatio , quantulacumque minima, in valle nihileitatis meæ submergetur , & peribit in æternum . Ibi ostendis me mihi, quid sum, quid fui, & quò